Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26827
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uolens ostendere et uolens explicare nec in
ueniens quibus. et enim scis non est opus ut ostendas quia
ipsi gustant et norunt. impii sentire non pos
sunt quod gustare nolunt. quid ergo fecit de iocun
ditate nominis dei? Tulit se et animo a tur
bis impiorum. Et expectabo inquit nomen tuum
quia iocundum est in conspectu sanctorum tuorum. Io
cundum est nomen tuum. sed non in conspectu impiorum.
Ego scio quam dulce sit. sed his qui gustauerunt.

Explicit de psalmo L.I. Incipit de psalmo L.

PSALMUM ISTUM SECUNDO.

uobiscum tractandum quantum dominus ius
serit suscipimus. Iubete fratres ut uelimus. et ora
te ut possimus. Si quid festinatione forte praeter
misero. implebit in uobis qui et in nobis dare
dignatur quod dicere potuerimus. Titulus eius est.
In finem pro melech intellectus ipsi dauid. Ame
lech sicut in hebreorum interpretationibus nomi
num inuenimus. uidetur dicere pro parturien
te siue dolente. Quis autem in hoc seculo parturi
at et doleat. agnoscunt fideles quia inde sunt.
Christus hic parturit. Christus hic dolet. caput est
sursum membra deorsum. Neque enim non partu
riens et dolens diceret. Saule saule quid me
persequeris? Quo sequente parturiebat. eum
conuersum parturire fecit. Namque et ipse postea
illuminatus et illis quae persequebatur membris
insertus. eadem caritate pregnans dicebat. Filio
li mei quos iterum parturio donec formetur
Christus in uobis. In membris ergo Christi in corpore eius quod
est ecclesia, pro uno ipso homine id est pro ipsa unitate
cuius caput sursum est. psalmus iste cantatur:
Gemit autem et parturit et dolet iste homo.
Quare. uel inter quos? Non quia accepit et cognouit
a capite suo dicente. abundauit iniquitas re
frigescet caritas multorum. Si autem abun
dauit iniquitas. et refrigescit caritas mul
torum. quis remanebit qui parturiat? Sequitur:
Qui perseuerauerit usque in finem hic saluus erit.

Unde est magnum perseuerare. non inter molestias
et temptationes et turbationes et scandala
est perseuerandum. Nemo enim iubetur bona
tolerare. Sed pro isto id est quia dicitur quia pro isto parturiente cantatur: dolente
uideamus quid sit. In isto increpantur hic homines.
inter quos gemitur inter quos doletur: et conso
latio dolentis et parturientis psalmi in fine
deprimitur et exprimitur. Qui sunt ergo inter quos par
turimus et gemimus? si in corpore Christi sumus. si
sub illo capite uiuimus. si in membris eius depu
tamur: qui sunt audi.

Dixit imprudens in corde suo non est deus.
Tale genus est hominum inter quos dolet
et gemit corpus Christi. Si tale hoc genus ho
minum est. non multos parturimus. Quantum uidetur
occurrere cogitationibus nostris. per pauci sunt.
et difficile est ut incurram in hominem qui dicat
in corde suo non est deus. Tamen sic pauci sunt. ut inter
multos timido hoc dicere. in corde suo di
cant quia ore dicere non audent. Non ergo multum
est quod iubemur tolerare. uix inuenitur.
Rarum hominum genus est. qui dicant in corde suo.
non est deus. At uero alio intellectu discusso. inue
nitur esse in pluribus quod in paucis et raris et
pene in nullis esse putabam. Adducant in
medium qui male uiuunt. inspiciam facta
flagitiosorum facinorosorum sceleratorum quoque hominum
quorum magna turba est. qui fouent cotidie
peccata sua qui factis in consuetudinem usi sunt etiam
uerecundiam perdiderunt. haec tanta homi
num multitudo est. ut inter eos positum corpus Christi.
uix audeat reprehendere quod non cogitur admittere.
et pro magno sibi putet seruari integritatem
innocentiae ne faciat quod culpare iam per consue
tudinem aut non audeat. aut si ausus fuerit.
facilius erumpat reprehensio et reclamatio
eorum qui male uiuunt. quam uox libera eorum qui be
ne uiuunt. Et isti tales sunt. ut dicant in cor
de suo non est deus. Tales conuinco. Unde conuinco?